MICHAELIS THOMASII DISPUTATIONES QUAEDAM ECCLESIASTICAE. BREUIS...

Miguel Thomas Taxaquet, Isidorus : Hispalensis santo

Digitized by Google

DE SANCTA TRINITATE ORATIO.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

SI ad recte viuendum homini neceſſarium eſt appetitum rationi obtemperantem reddere, quæ honeſti vias officiaq; deſcribit, & ad beate viuendum quoque neceſſarium eſt rationem fidei obſequentem præſtare, qua apud Deũ iuſtificamur & viuimus. Nam vt ad naturales actiones anima corpus informat, ſic ad Diuinas operationes fides animam inſtituit, quibus Diuinæ naturæ conſortes efficimur. Eſt autem fides (quæ verbo græco Catholica nominatur, quod nimirum eadem ab omnibus tenenda ſit) hęc vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitate veneremur, neqùe confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Quamobrem hodierno die, quem Sanctiſsimæ & indiuiduę Trinitatis feſtum, atque ſolemnem celebramus, Primum de Diuinæ naturæ ſimplicitate, Tum de Diuinarum perſonarum numero, Poſtremo de fide, quę in iſtarum nos rerum cognitionem adduxit, pauca dicemus. Nec vero ſolum ſacris oraculis, ſed Philoſophorum quoque rationibus demonſtratur, numen Diuinum ſimplex eſſe, nihil in ſe habens admixtum, nihil diſpar ſui, atque diſsimile. Nam ſi ſecus eſſet, aut

materia

materia formaque conſtaret, aut membrorum varietate diſtingueretur. Itaque partem alteram altera præſtantiorem habens beatiſsimus non foret, quia ſe toto vbique pariter non frueretur, Quandoquidem forma nobilitate materiã vincit, & corpus amplitudine membra. Sed nec eo modo, quo cœleſtes intelligentię, quas Angelos nuncupamus, ſimplex ac ſui ſimilis eſt Deus; Nam illę licet ab omni mortali concretione ſolutę ſint, tamen ortum habent, atque aliunde, non à ſe pendent, At Deus à ſe eſt, qui à nullo originem ducit. Ex quo nomen ipſi eſt, Qui ſum, quoniam à ſe ipſe ſolus exiſtit, Ac ni à ſe eſſet, principium non eſſet, quia poſt rem aliam ſequeretur. Numen igitur Diuinũ ſimplex eſt, quia principium æternum eſt, Præterea naturam Angelorum mutabilem eſſe indicat Luciferi ſociorumque peccatum, quo e ſublimi cœlo in infernas mundi partes detruſi in perpetuis grauiſsimiſque miſeriis iacent. Verum Deus quia vere eſt, quoniam à ſe eſt, ſolus idem ſemper & immutabilis eſt. Vnde per Hieremiam inquit, ego Deus & non mutor. Atque hoc perſpicuum etiam inde fit, quia vniformis intelligitur, cui videlicet nihil tribuas, quod ab eius natura ſepares. Quapropter ſcientia ſapientia, virtus, atque huiuſmodi res alię Deo (vt Philoſophorum verbis utar) non accidentia, ſed ſubſtantia ſunt, alioquin re extrinſecus accedente perficeretur, Atqui in Angelis adiunctæ ſubſtantię res, non eiuſdem ſunt cum ſubſtantia rei, ſed diſpares atque diuerſę. Conſtat igitur ſolam naturam Diuinam ſui omnino ſimilem & ſimplicem eſſe. Sed tamen huius tam ſimplicis indiuiduęque naturę non vna, ſed tres hypoſteſes ſunt, quas noſtri rerum ſacrarum interpretes ſcite perſonas vocant. Harum prima eſt pater, altera Filius, tertia Spiritus Sanctus, Pater, qui à nullo oritur; Filius qui à patre; Spiritus Sanctus eſt, qui ab vtroque procedit, Quas proceſsiones, licet omnem ipſę intelligentiam lateant, tamen cum Deus mens ſit, ex humani animi intimarũ actionum ſimilitudine contemplabimur, ſic enim ſępe Diuina ex humanis aliquo modo cognoſcimus, & quidem humani animi actiones intimæ duæ ſunt, intelligere ac velle, & Diuinæ proceſsiones duæ, verbi & amoris, Eſt enim

Diuin

Diuina proceſsio interior Dei, atque in ipſo conſiſtens, nō extra prodiens operatio. Filius intelligendo concipitur: Spiritus Sanctus amando ſpiratur, ſiquidem pater ſe ipſum intelligens verbum concipit; Verbum & pater ſeſe mutuo diligentes Sanctum ſpiritum producunt, & quam pater filio, eandem filius cum patre naturam Spiritui Sancto communicat ſimplicem & immutabilem. Verbum concipi, parturiri, generari ſacræ literæ perhibent, quoniam, vt D. Paulus teſtatur, figura ſubſtantiæ patris eſt, hoc enim proprie generatio eſt viuentis procreatio eandem naturæ ſimilitudinem ſpeciemque ſeruantis. Nec intelligere aliud eſt, quàm rem mente concipere. Atque animus noſter non quidem res ipſas, ſed ipſarum rerum imagines comprehendit. Verum eſſentia & intelligentia Dei cum propter ſummam naturæ ſimplicitatem omnino re conueniant, verbum eiuſdem eſt cum patre ſubſtantiæ, quod ſi pater ſemper ſe ipſum intelligit, atque ex æterno intellexit, certè ſine temporum interuallis ſemper genuit ac generat filium; ideoq; in Pſalmo inquit filio, Ego hodie genui te, quod præteriti temporis verbum perfectam generationem oſtendit, & inſtantis temporis aduerbium æternitatem indicat, quę hodie nominatur. At Spiritus Sancti proceſsio generationis nomen haud quidem obtinuit, tum quod amor ſimilitudo non eſt, quæ in generatione requiritur, quamuis e ſimilitudine concilietur; tum ne duo filij in Sanctiſsima Trinitate eſſe crederentur: ſed ſpiratio vocata eſt, quod ſpiritus vitalem quendam motum impulſionemque ſignificet, quę vis amoris voci ſubiecta eſt. Cum autem Spiritus Sanctus mutua ſit patris & filij dilectio conſubſtantialis, & coæterna vtrique, non ſolum à patre, ſed etiam à filio emanat; duabus quidem perſonis, ſed vno tanquam principio: quoniam filius vt Spiritum Sanctum ſpiret, à patre habet. Hoc nimirum eſt, quod aliquando ſpiritus patris, aliquando ſpiritus filij dicitur, atque hęc Spiritus Sancti proceſsio filij proceſsionem reſpicit, cum voluntas nihil appetat, quod intelligentia non perceperit. Et quanquam Dei voluntas & intelligentia re non diſſentiunt, tamen reſpectu quodam & ordine diſiunguntur, ac quando vno ſolo actu Deus ſi-

mul omnia intelligit & ſimiliter vult, non poteſt in eo verbum ex verbo, aut amor ex amore produci, ſed vnum in eo ſolum verbum, & vnus perfectus eſt amor. Quare ſi vna & eadem natura trium Diuinarum perſonarum eſt, quæ ſolis relationibus paternitate, filiatione, ſpiratione diſtinguuntur, meritò a nobis Deus trinus & vnus colitur: nec tres Dij ſed vnus eſt, vnius ratione naturæ Deus. Qua etiam ratione inter ipſas perſonas nihil tempore, aut dignitate prius vel poſterius eſt; omnes ſunt Diuinitate, gloria, maieſtate æquales. Atque hæc à nobis non Phyſicis argumentis, ſed Diuinis enunciationibus credita ſunt. Quarum rerum fides longe ab opinione, & ea, quæ proprie Phyſicis eſt ſcientia, differt, nam opinio fallax incertaque cognitio eſt, in diuerſas partes dubiam cogitationem impellens; at fides vera & ſtabilis eſt, nullam dubitationem in animo patiens reſidere. Idcircò qui de his ambigit, quæ ad fidem ſpectant, D. Iacobi ſententia, infidelis habetur. tum ſcientia eſt rerum aperta demonſtratio, ex his ducta principijs, quæ per ſeipſa noſtrę intelligentiæ nota, clara, & euidentia ſunt. Verum fides licet dubia non ſit, obſcura tamen eſt, quæ ſenſus omnes effugit, e quibus humanę ſcientiæ oriuntur: ideoque per fidem nos inquit D. Paulus in ænigmate videre. Nihilominus omni humana ſcientia firmior eſſe debet: quippe quæ nobis ad conſequendam æternam fœlicitatem ab ipſomet Deo tradita eſt. O inſanam Philoſophorum ſapientiam, qui rerum Diuinarum rationes, e ſenſibus exquirunt; ac Diuini numinis poteſtatem cogitationum ſuarum terminis deſcribere, & humanæ mentis facultate audent impudenter metiri, ſic dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, nec ſi fidem humana ratio non attingit, idcirco fides humanæ rationi contraria eſt. Nuſquam enim verum vero repugnat. Sed vt per ea, quæ facta ſunt, in eorum, quæ non cernuntur, fide iuuemur, nō ne in ſingulis naturis, tam corporum, quàm animorum aduertimus quędam eſſe quaſi impreſſa veſtigia Trinitatis? Nam vnaquęque natura ſuo genere contenta, ac propria ſpecie formata, certaque diſpoſitione conſiſtens, vnitatem, ſpeciem, & ordinem habet, cumque vna ſit, tribus tamen rationibus deſcripta Trinitatis quandam ſimilitu-

militudinem præfert; in qua ſumma origo, eximia pulchritudo, immenſa bonitas eſt, cuius etiam imaginem in noſtro animo, qui diuinitatis eſt capax, melius perfectiusque perſpicimus. Nam cum eius vna ſubſtantia ſit, tres tamen illius proprias poteſtates, ac vires æquales inter ſe paresque notamus, memoriam inquam, intelligentiam, & voluntatē, quæ ita ſunt inter ſe nexæ, & irrigatę, vt vna ab alia ſegregari minime poſsit. Nam meminimus ea, quæ intelligimus & volumus: nec intelligimus niſi ea, quę volumus ac meminimus, nec volumus niſi ea, quæ meminimus atque intelligimus. Itaque res vniuerſæ diuino quodam artificio Sanctiſsimæ Trinitatis, à qua creatæ ſunt, ſimilitudinem aliquā gerentes nos etiam monent, vt Dei veri Doctrinam & fidē ſine vlla hæſitatione recipiamus. Quod ſi à Deo ſumus, à quo pendent vniuerſa, per Deum mouemur, per quem omnia fiunt, in Deo viuimus, in quo cuncta ſalua & incolumia ſunt; Enitendum eſt, vt ad principium ortus noſtri recurramus, formam actionum imitemur, gratiam, quæ nos Deo conciliat, conſequamur. Id verò tum fiet, cum cogitationes in honorē, verba in laudem, opera in Dei cultum intenderimus. Sic trinis tanquam veſtigijs eo, vnde profecti ſumus, reuertemur, quo tandem vt perueniamus tribus Dei donis potentia, ſapientia, bonitate, quæ tribus Diuinis perſonis Patri, Filio & Spiritui Sancto attribuuntur, ornati & inſtructi eſſe debemus, vt valentes in bonis operibus incedamus, nec aliud quàm Diuina & cœleſtia ſapiamus, nihilque preter Dei beneuolentiam & charitatem expetamus: quæ beatiſsimam, atque omnibus bonis cumulatam & expletam vitam efficit. Quamobrem ſi fides donum Dei eſt, nec ad cœlum aditus patet niſi per fidem, quantas obſecro Immortali Deo gratias à nobis agendas habendasque putatis? qui diuino beneficio ex ignorantiæ tenebris in veritatis lucem reuocati, & cœleſtium bonorum heredes cum CHRISTO IESV duobus teſtamentis conſtituti ſumus? Harum rerum contemplatio nos ad veram pietatem, & Chriſtianæ vitæ cultum profectò magis, ac magis excitabit.

LAVS DEO.



PERVSIAE,

Apud Petrumiacobum Petrutium.

M D LXXIX.